



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Christophori de Ortega Sanclementini, E' Societate  
Iesv. Qvondam in Provincia Toletana Theologiæ  
Scholasticæ publici Professoris ... Tractatvs Dvo, De  
Trinitate, Nec non, Incarnatione**

**Ortega, Cristóbal de**

**Lugduni, 1664**

Qvæst. II. An intellectus lumine fidei, & reuelationis adiutus possit  
Trinitatem inferre.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94251](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94251)

creatis Patrem, & Filium assignat: an fidem, reuelationemque eorum obfcuriorem? Ergo non ex creatura mundi, & ordine rerum colliguntur infallibiliter, vt vult Athanasius & Paulus; reliqua autem auxilia, quæ mysterij cognitiones, illudque aliquatenus concernentes non sunt, ad bene inferendum, & discurrendum non pertinent. Sic ergo Athanasius interpretor. Scilicet: vt solum velit, quod Verbum quatenus ratio est creandi à Philosophis cognosci debeat ex rerum creaturarum ordine naturaliter intellecto, & Pater, qua primum cognoscens est, non autem qua propter, & Filius personaliter distincti. Id satis innunt verba illa secundi testimonij: *Nihil cogitauerint de ratione nature, sine verbo*: ergo sufficere, si aliquid Verbi cogitauerint, quod scilicet ipsi approprietur: nempe esse rationem condendi creaturas. Item eiusdem testimonij Verba illa: *vt mundus per eam agnosceret suum opificem, rationem videlicet, sine Verbum*: vtique: quia sine ratione aptè fieri, disponique non potuit. Et per Verbum Patrem. Scilicet, vt qui primario rationem habet condendi. Et sanè hoc satis fuit, vt inexcusabiles gentes iudicentur, qui nec Deum, nec rationem agendi ipsius, quam ex rerum natura, & ordine cognouerunt, fuerint venerati.

3 Affatim etiam inde Arius conuincatur Verbum esse Deum. Si enim ex Paulo euidenter colligitur ratio diuina, Deoque intrinseca, cum qua ipse mundum architectatus est: atque ex alia parte constat ex Euangelio. (quod Arius profitebatur) rationem, per quam Deus operabatur, esse Verbum, conuincitur Verbum Deo intrinsecum, & consubstantiali Patri fore, quod Arius negabat. Hanc autem suam mentem satis superque explicuit Athanasius in conclusione primi testimonij illis verbis: *certum autem est omnia creata per Verbum*, &c. & vbi nam certum est? an naturali lumine? neutiquam sane, sed ex Euangelio Ioannis. *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil*. Vnde ea verba Athanasius mutuatur. Constat etiam, quanti criminis, quantoque iure Præfbyteri Alexandrini citato loco Asterium, Arrianum arguant, quia Verbi diuini collectionem ex loco Pauli neget: nempe, quatenus Verbum ratio est efficiendi creaturas. Id quod si ex illo Pauli loco colligi facerentur, cum ex alio Ioanni primo rationem fabricandi creaturas in Deo esse Verbum tenerentur fateri, nequiter negare Verbum esse Deum; atque Arrianam hæresim non deserere.

4 Neque verò faciliora interpretatu sunt verba Anselmi. ad eundem locum Pauli ad Romanos. quæ sic habent: *Potest etiam sempiterna virtus eius intelligi filius eius, per quem facta sunt omnia: diuinitas autem Spiritus Sanctus intelligitur. Itaque per visibiles creaturas cognoscitur invisibilis Pater, & sempiterna virtus eius, que est filius, ac diuinitas, que est Spiritus Sanctus: ita vt Gentiles, qui Scripturas diuinas non habent, sint inexcusabiles*. At, nisi Trinitas euidenter ex creaturis cognosci posset, essent Gentiles excusabiles: ergo sentit Anselm. euidenter cognosci posse ex creaturis Trinitatem. Tam apertè videtur Anselm. locutus, vt noster Granados, singularis modestiæ, & pietatis vir, meliori desperata solutione improbandam esse hanc Anselmi expositionem fateatur. Ego vero acutissimum cum primis Patrem, & Theologum, Doctissimumque interpretem Anselmum de rebus, etiam clarioribus, condemnare non ausim. Respondetur ergo iuxta proximè dicta solum voluisse Anselmum cognosci à Philosophis potuisse Trinitatem personarum, non quidem secundum se, & particularia, quæ in re habent, sed solum secundum communia quæ ipsis à catholicis peculiariter appropriantur: Ea autem sunt, quæ ibi enumerat Paulus, atque interpretatur Anselmus.



QVÆSTIO II.

An intellectus lumine fidei, & reuelationis adiutus possit Trinitatem inferre.

**D**ixi in quæstionis titulo inferre, vt denotaret de assensu fidei, qui discursiuus non est, quæstionem non esse; sed solum de discursiuo assensu ex actu fidei, vel ex reuelatione cognita, & principiis naturalibus elicitio. Potest autem iuuare fides vt cognitio inferens, atque vt præmissa, vel vt obiectum, & medium cognitum; sicut reuelatio potest esse insuper cognitum abstractiuè, sicut modo cognoscitur, tam fides, quam reuelatio, vel intuitiue, si alterutra speciebus propriis cognosceretur. Et de his quidem omnibus singulatis, & seorsim quæstione hac statuemus.

CERTAMEN I.

Fides Trinitatis nequit iuuare formaliter, vt præmissa ad assentiendum Trinitati; secus fides vnus persone ad assentiendum alteri certo, licet non euidenter.

**R**icard. & Hugo Victorinus, Henticus, Gerson; & si placet, Aureolus asseruerunt vires naturales intellectus adiutas lumine fidei posse euidenter Trinitatem demonstrare, quibus fauent Dur. in 3. d. 23. q. 9. n. 12. Caiet. 2. 2. q. 171. art. 5. Alphons. Toler. q. 1. Prologi, art. 2. concl. 3. Oppositum tenent Molin. 1. p. q. 32. art. 1. Valent. 1. p. q. 6. de Trinit. punct. 1. ad quartum argumentum, Valq. d. 133. & sequentibus; Suarez. de Trinit. cap. 12. n. 8. Gnanad. 1. p. tom. 3. tract. 6. sect. 1. & 4. Didacus Ruiz d. 43. sect. 2. per totam, quibus & nos libenter subscribimus. Ratio est facilis: quia vel fides influit, vt principium, vel, vt obiectum cum obiectis, & principiis naturalibus, vel secus? Si concurrat: ergo conclusio euidentis non est, cum alterum ex principiis obiectum sit, neque atque conclusio euidenter suis principiis esse elamante Aristot. propter quod unumquodque tale, & illud magis. In hac ipsa euidentia materia, & comparatione conclusionis cum suis principiis. Tam verò, si non concurrat, neque influit fides cum naturalibus principiis, & obiectis: ergo neque nouam connexionem cum Trinitate obiectis naturalibus præbet, neque principis naturalibus nouam extensionem, vt virtute contineant Trinitatem: sed, vt probatum est q. 1. cert. 1. neque obiecta habent connexionem cum Trinitate, neque principia virtute illam includunt, si naturalia sint, sed potius videntur excludere: ergo, licet fides intellectu i affulgeat creato, nequit ipsi inseruire, vt euidenter inferat Trinitatem.

2 Itaque, licet fides intellectum perficiat, atque solertiorè reddat ad indaganda media, & discurrendum pro veritatis cognita demonstratione, si tamen medium non sit; vt non est in natura ad Trinitatis veritatem demonstrandam; frustrabitur sane solertia sepe. Confirmatur: quia implicat aliquid eleuatum ad effectus supra suam naturam edendos sola; & præcisa vi nature ad illos concurrere: quin potius necesse est, vt principium eleuans saltem inadæquatè concurrat (imo in Thomistarum sententia principium eleuans tota ratio agendi esse debet) vt patet in intellectu eleuato lumine gloriæ ad videndum Deum, & in aqua eleuata ad physicam (vt male quibusdam placet) gratiæ productionem. Ratio autem huius perspicua est: quia si

Sola natura agit non autem eleuatio, seu principium eleuans: ergo non ab eleuatione, seu principio eleuante ea actio prouenit, sed à natura adæquate. Ast per te fides eleuat intellectum, & non influit in demonstrationem Trinitatis cum intellectu, & obiectis, seu principiis naturalibus: ergo nil ulterius demonstrabit de Trinitate natura cum fide, quam si se illa, nisi se sola natura possit demonstrare. Adde, neque probabiliter inferre posse Trinitatem intellectum, fide etiam illustratum, nisi aliquo modo fides ipsa influat, vt per se senti has rationes, & datas q. 1. cert. 2. satis apparebit.

3 Dico secundò: fides huius mysterij, vt præmissa nequit iuuare ad mysterium ipsum certò inferendum; secus fides vnus personæ ad aliam, vel alias inferendas. Prima pars conclusionis probatur: quia fides huius mysterij totalis attingit totum obiectum conclusionis inferendæ, vt patet: ergo nequit esse præmissa in discursu, quo mysterium hoc in conclusione inferatur. Patet consequentia: quia præmissa nequit attingere totum obiectum conclusionis, sed solum identitatem alterius extremitatis cum medio. Secunda etiam conclusionis pars, haud difficiliter, probatur: quia ex cognitione fidei de filio diuino cum altera præmissa euidenti, nempe implicat esse filium, sine Patre, inferitur certò, & infallibiliter Deus Pater, siue Pater in diuinis: contra verò ex Patris diuini fide, vt præmissa, ac recitato principio naturali necessarìo inferetur Deus filius, siue filius in diuinis. Porrò tam hæc quam præcedens conclusio aded sunt certæ, vt nihil eis, vel leuiter, possit aduersari. Extremam verò huius conclusionis partem expressisse videtur Henricus, quod lib. 8. q. 14. citata.

## CERTAMEN II.

*Statuitur de intellectu adiuto reuelatione, & fide, vt obiectis?*

1 Dico primò: ex fide & reuelatione certò cognita abstractiue, siue fide alia reflexa, siue aliunde, certò infallibiliter inferetur Trinitatis mysterium, quoad rationem totam specificam mysterij hætenus fide propositam. Explicatione solum opus habet conclusio, expressa ab Henric. supra, & Doctoribus citatis cert. 1. init. quibus adhuc ex aduersariis ibidem datis contradicit nemo: quin eam etiam supponit Ruiz sect. 2. num. 14. Explico igitur simul, & probo exemplo. Nam, si quis fidem habeat de sua fide, aut reuelatione circa hoc mysterium, vel euidenciam physicam, vel morale de reuelatione diuina (neque enim disputandum modo est, vtrum ex his euidenciis generibus haberi de reuelatione possit) inferit certo, & infallibiliter hoc discursu Trinitatem. *Quidquid deus dicit, ita est sicut dicit, quæ propositio euidens naturaliter est: sed Deus dicit se esse trinum, & vnum, scilicet Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum eiusdem Deitatis, & nature: ergo Deus est trinus, & vnus, Pater nimirum, Filius, & Spiritus Sanctus nature, & Deitatis eiusdem.* Si hunc discursum certum esse renuas, ac de infallibilitate conclusionis dubitari velis, ostende precor, vndenam in assensu huius conclusionis mens hæere queat.

2 Similiter agnouit quis certò se assentire, vel assensisse, huic mysterio ob sibi propositam reuelationem, atque aliunde reuelationem hanc sibi propositam veram esse: sique certus est fidem, qua huic mysterio assentitur esse diuinam (esto, certus non sit de supernaturalitate huius actus fidei: neque enim extra chorum saltandum est, vt probetur modo, vel improbetur actum naturalem posse etiam circa obiectum etiam formale supernaturale versari: cum parui vtrumlibet ad nostram rationem, & conclusionem interfit) Pergit inde mens: *quidquid fide verè diuina creditur ita est: sed ego fide diuina credo identitatem in natura Patris generantis, Filij geniti, & Spiritus Sancti ab vtroque spirati: ergo horum est*

*Trinitas in identitate nature in diuinis.* Dices cognitionem illam reflexam certæ fidei non posse esse certam: alioquin posset esse certa cognitio actus charitatis mei, meæque iustificationis contra Tridentinum: cum actus charitatis, vt formalis iustificatio non sit, necessarid, & essentialiter formali iustificationi coniungatur. Responderetur primò dato intento exempli vitium fore, non conclusionis. Appone ergo loco illius cognitionem aliam reflexam, & certam aliunde, vel ex Dei reuelatione. Respondeo secundò certam esse cognitionem illam; neque tamen inde inferri aliquem certum de sua iustificatione ex se esse posse. Quia hæc non est connexa cum amore naturali Dei, quem possibilem esse asserit Suar. cum aliis: sed solum cum supernaturali: nequit autem aliquis de se se discernere naturalisne amor suus sit, an supernaturalis. Vt mitam modo disparitates alias suo loco assignandas.

3 Dico secundò ex sola reuelatione Trinitatis intuitiue visa, atque item ex alio principio: *quidquid Deus dicit, verum est*, inferitur certò infallibiliter Trinitatis mysterium, ac similiter ex actu fidei diuinæ intuitiue viso, & præfato principio. Quoad reuelationem intuitiue visam attingit nullum dubium alicui potest: patet enim conclusio ex hoc syllogismo: *Quidquid Deus dicit verum est: quod est lumine nature notum: Deus dicit, seu reuelat se esse trinum & vnum*, quod etiam euidens est vbi intuitiue reuelatio videtur: ac proinde certò infallibiliter, atque euidenter inferitur conclusio Trinitatis mysterium, hac scilicet propositione. *Ergo Deus est trinus & vnus.* Quoad fidem autem, etiam intuitiue visam attingit, secundum intrinsecum actus fidei diuinæ de eodem Trinitatis mysterio, est etiam omnium Theologorum conclusio Dur. in 3. d. 23. q. 9. Caetan. 2. 2. q. 71. art. 5. Alphonsi Toleti 1. p. prologi, q. 2. concl. 3. Bassol. q. 1. prol. art. 2. Didaci Ruiz d. 42. de Trinit. sect. 3. n. 1. & communiter Recentiorum 3. p. q. 11. Nec difficiliter probatur: quia actus fidei diuinæ, quoad intrinsecum, diuinæ fidei actus est, atque essentialiter connexus cum diuina reuelatione: ergo quidquid infallibiliter ex diuina reuelatione intuitiue visa, & principio illo, *quidquid Deus dicit, &c.* inferitur, mediâtè saltem inferetur ex actu fidei diuinæ intuitiue viso quoad intrinsecum: atqui, vt diximus ex reuelatione intuitiue visa inferitur necessarid, ac certò mysterium Trinitatis reuelatum: ergo ex fidei diuinæ actu, quoad intrinsecum intuitiue viso, saltem mediâtè, inferetur certò, & infallibiliter mysterium Trinitatis, quod eiusmodi actu creditur. Confirmatur, & explicatur ratio: cum enim actus fidei diuinæ, quoad intrinsecum, essentialiter connexus sit cum reuelatione, qui actum fidei diuinæ de mysterio Trinitatis, quoad intrinsecum, videt, sic reuelationem eiusdem mysterij demonstrabit. *Quidquid actu fidei diuinæ creditur, à Deo est reuelatum: atqui ego vt video, credo actu fidei diuinæ mysterium Trinitatis: ergo mysterium Trinitatis à Deo est reuelatum.* Cognita autem certò, & euidenter existentia diuinæ reuelationis, vt hac conclusione cognoscitur, pergit infallibiliter discursus supra factus ad mysterium Trinitatis ex reuelatione de illo inferendum.

4 Posset non nemo contra conclusionem hanc de actu fidei, quoad intrinsecum, intuitiue viso sic dicere. Tota euidencia, & certitudo, cui innititur actus fidei diuinæ, quoad intrinsecum, non constat certò, nedum euidenter, reuelatio diuina de mysterio credito: ergo neque certò constat mysterium ipsum: sed, nisi id certò constet, actus fidei Trinitatis, quoad intrinsecum non est certum medium ad inferendam Trinitatem, adiuncto etiam illo principio: *quidquid Deus dicit &c.* ergo ex actu fidei Trinitatis, quoad intrinsecum, intuitiue viso, atque principio illo, *quidquid Deus, &c.* nequit certò deduci mysterium Trinitatis. Minor primi syllogismi suadetur: quia actus fidei diuinæ, quoad intrinsecum actus, non connectitur per se cum diuina reuelatione, vt existente, sed solum, vt apprehensa: motiua enim omnia assensus, siue voluntatis, siue

siue intellectus non mouent secundum physicam, per  
realem sui existentiam nudam, sed quatenus apprehen-  
duntur, proponunturque intellectui, vel voluntati, licet  
apprehensio motiui formale non sit, vt controu. de  
anima docebamur: ergo intrinsecum actus fidei diui-  
næ eodem modo perseueraret, elicereturque appre-  
hensa, seu iudicata existentia diuina reuelatio-  
nis, siue reuelatio existeret, siue non existeret. Nec  
refert fidem diuinam esse non posse, nisi existat  
reuelatio, et existeret apprehendatur, vel iudicetur.  
Etenim in fide diuina duo sunt, & intrinsecum actus, &  
prædicatum diuinæ; hoc autem intrinsecum ipsi actui  
non esse, sed solum denominationem extrinsecam illi  
aduementem ab existentia diuinæ reuelationis dicere  
aliquis posset: neque improbare videtur Ripalda tom.  
1. de ente supernat. d. 59. non semel.

5 Instari tamen potest contra sic opinantem: quia  
in actu fidei verè diuinæ, siue ob reuelationem verè  
existentem, est prædicatum intrinsecum supernaturalita-  
tis, quod ab intuentem actum totum, quoad intrin-  
secum, cognosci necessariò debet: ergo ex illo inferet  
sic videns necessariò Trinitatem, & existentiam di-  
uinæ reuelationis. Respondere tamen posset in doctri-  
na nostri Suar. Ripaldæ, & aliorum, qui circa obie-  
ctum, etiam formale, supernaturale posse esse actus  
naturales admittunt, atque in doctrina Gasp. Hurtad.  
& aliorum, qui hæretico credenti mysterium vnum  
fidei, vt aliud mysterium verè ob Dei reuelationem  
credat actu naturali concedunt falsum esse antece-  
dens. Secundò admissio antecedenti negare posset conse-  
quentiam dicens supernaturalitatem actus solum di-  
cere respectum ad Deum supra leges naturæ operan-  
tem, non autem ad Deum reuelantem: ac proinde viso  
prædicato super naturalitatis intrinsecum actui fidei  
non inferri existentiam diuinæ reuelationis de Trini-  
tate. Sed instatur solutio: inferitur Deus, supernaturaliter  
operans: ergo vel medio habitu fidei infuso, vel per se  
ipsum: sed vtrouis modo actus, est connexus cum diui-  
na reuelatione, & obiecto credito per illud: ergo ex  
visione actus fidei, quoad intrinsecum, certè, & infalli-  
biliter inferitur Trinitas credita. Probat minor, si  
Deus operetur supernaturaliter medio habitu fidei:  
quia cum habitus fidei supernaturalis detur ad assen-  
tiendum diuinæ reuelationi, inclinabit solum ad assen-  
tiendum reuelationi verè existenti atque solum ad actum  
verum, quare ad actum vel falsum, vel ob reuelatione  
solum apprehensam, neque existentem concurrere mi-  
nime poterit. Si autem se ipso Deus operetur actum fi-  
dei supernaturalem de re quapiam, cum falsi auctor,  
errorisque esse non possit, necessariò concurret ad actum  
verum: ergo ex prædicato supernaturalitatis intrinsecum  
actui fidei inferitur necessariò veritas, & res credita per  
illum. Responderet fortasse vtrouis modo, posse Deum  
concurrere ad supernaturalitatem intrinsecam actus fi-  
dei, quin ex eius concursu mysterium creditum, atque  
existentia reuelationis de illo infallibiliter deduceretur.

6 Et primò, posset Deus se ipso concurrere: cum  
non repugnet Deum causam esse physicam, non solum  
partialem, sed & totalem physici erroris. Quin imò  
damnatis errores quibus cruciuntur non semel Deum  
insundere docet Valq. 1. 2. d. 90. n. 11. & 12. & 3. p. d. 61. à n.  
59. ad. Torr. tom. & tract. de fide d. 3. dub. 4. cum pluri-  
bus, Petr. Hurt. de fide d. 18. sect. 6. n. 54. Ioann. Ripal-  
da tom. 1. de ente supernat. d. 59. sect. 1. §. 1. fine, & sect. 5. Quid  
ergo mirum, aut valde absurdum inferetur ex concursu  
Dei ad supernaturalitatem actus fidei, quoad intrinse-  
cum ob non existentem reuelationem, ac proinde,  
cui necessaria, & essentialis veritas non sit, sed falsum  
potius subesse possit. Posset item medio habitu fidei  
concurrere ad supernaturalitatem intrinsecam actui  
fidei: quia habitus supernaturales dari solummodo  
videntur ab auctoribus ad potentiam supplementum,  
seu complementum: nec negari posse videtur ad id  
solum dari posse quin ad inclinandam potentiam ad

actum ob hoc; vel illud obiectum donentur. Imo in  
actibus assensus, vel dissensus moueri intellectum  
physicè non posse, siue physica qualitate, alioue pro-  
positio physico principio impellente, sed solum propo-  
sitione motiui ad assentiendum; non videtur impro-  
babile: quia in eo præstando intellectus non est mo-  
bile physicum, sed solum mobile intentionale, quod  
proinde nequeat physicè, sed solum intentionaliter  
per motiui propositionem moueri. Qua solum ratio-  
ne probari solidè potest communis philosophorum,  
& Theologorum opinio, nempe voluntatem, adhuc  
diuinitus, in incognitum ferri minime posse: quia  
scilicet mobilis solum intentionaliter, non autem  
physicè mobilis voluntas est: quo ipsum intellectus  
habet in assensu præstando veritati ob formale  
quodpiam motiuum. Negari certè non potest subti-  
liter hæc omnia excogitata fuisse.

7 Cæterum contra solutiones huiusmodi perstat  
adhuc argumenti robur. Etenim habitus supernatura-  
les, qualis est fidei, dantur per omnes ad eleuandam,  
compendamque potentiam naturalem in ordine ad  
actus supernaturales: inquiri ergo, an, cum reuelatio  
re ipsa non existeret, sed solum existere putaretur,  
actus ille supernaturalis futurus esset nec ne? Natura-  
lem fore dices cum omnibus: ergo actus supernatura-  
lis fidei nequit esse non existente reuelatione: ergo  
supernaturalitas intrinsecum actus connectitur necessariò  
cum existentia reuelationis de mysterio credito: ergo  
habitus fidei inclinabit completque potentiam ad assen-  
tiendum diuinæ reuelationi, quæ verè diuina, nec solum  
existimata sit. Secundò, licet habitus fidei, reliquæ  
que supernaturales subdantur, cum creatura rationali  
insunt, ipsius libertati, non tamen, vt ad actus natura-  
les eliciendos influant, quibus, & naturalis facultas  
proportionata de se est, & ad quos edendos com-  
plere illam nequeant, sed solum ad actus supernatura-  
les; ponere autem in naturali voluntatis nostræ ar-  
bitrio actum naturalem, vel supernaturalem circa  
obiecta naturalia, etiam formalia, elicere, ac proinde  
de habitu supernaturali ad illos producendos vti redi-  
culum prorsus, & paradoxum est. Denique, vt solutio-  
nis doctrina radicibus conuellatur, statuendum est  
actus supernaturalitatem, atque necessitatem habitus  
supernaturalis ex parte potentie ad ipsum eliciendum  
desumi ratione vnica, & à priori ex obiecti formalis  
motiui ad actum supernaturalitatem. Si enim hæc ratio  
non consistat, nulla alia ratione probari poterit, actum  
fidei, spei &c. supernaturalem esse: ac proinde ad illos  
eliciendos habitus supernaturales requiri: quare dog-  
matica doctrina de necessitate habituum supernatura-  
lium fidei, spei, & charitatis sine vlla ratione manebit,  
solumque auctoritate credenda. Vt ergo veritati huic  
fidei ratio, quoad fieri possit, sicut reliquis veritatibus  
dogmaticis debet, famuletur, statuendū est habitum fidei,  
reliquoque supernaturales dari, vt potentia etiam in  
ordine ad operandum proportionetur cum obiecto  
formali motiui ad actum eliciendum, atque in eo or-  
dige, in quo eiusmodi obiectum, & actus futurus est  
constituatur: atque reuelatio solum existimata, ac non  
verè existens in ordine supernaturali non est: ergo nec  
opus est, vt ob illam credatur, potentiam in ordine su-  
pernaturali constitui, atque actum ob illam elicium su-  
pernaturalem esse: quare neque habitus supernaturalis,  
neque omnipotentia Dei ad concurrendum superna-  
turaliter ex parte actus primi; & potentie ad creden-  
dum ob illam poterit præcedere: neque actus  
ob illam elicitus supernaturalis euadet,  
sed solum quando vera Dei reue-  
latio extiterit, vt appre-  
henditur.